

§. 27. Veritati autem consentaneum minimè est, quod de Lampyridibus alatis Plinius scribit *lib. XI. cap. 28.* earum latera mox pennarum hiatu relucere, nunc compressu obumbrari, uti hoc jamdudum annotarunt Kircherus *d. l. cap. 6. fol. 22.* & Bartholinus *d. l. cap. XI. pag. 276. & cap. seq. pag. 284.* Aliud dicendum de illis Lampyridibus, qui in Insula Hispaniola Infulisq; Antillis reperiuntur, ab incolis Coyouyou nominantur, lucemq; partim oculis suis, partim sub ais fundunt, ut refert L. D. P. *Histoire des Iles Antilles chap. 14. art. 2. pag. 138.* Confer P. du Tertre *Histor. General. Antill. in Ephemerid. Erudit. Tom. III. pag. 101.* Aldrovandus *de Insect. lib. 4. cap. 7. fol. 193.* Vossius *d. l. 4. cap. 93. p. 1623.*

§. 28. Inter Plantas quoq; reperias, quæ evidentes nocturnis horis flammam ostentant. Celebris hoc nomine est Radix Baaras apud Josephum *lib. 7. de bell. Jud. cap. 25.* quæ in Valle Civitatis Machæri gignitur & tamdiu fugit (qualis hæc fuga sit, explicat Amplissim. ac Excell. Dn. Jacobus Thomasius, P. P. *in Dissput. de Mandragorâ cap. 3. §. 70.*) usq; dum Urina muliebris aut menstruus sanguis super eam fundatur, aut etiam cane ad inferiorem herbæ stipitem arctissimè alligato eruatur. Quænam hæc herba fuerit variè disceptatur, ut videre est apud Bartholinum *l. 1. cap. 3. p. 26. seqq.* Probabilissima opinio Gesneri *de Lunar. Herb. pag. 27.* esse videtur, qui habet pro Cynospasto vel Aglaophotide, de qua Ælianus *in Hist. Animal. lib. 14. cap. 27.*

§. 29. Idem Ælianus *d. l. cap. 24.* meminit etiam Plantæ, quæ in petris profundis nascitur & magnitudine myricam, fructu papaver refert, noctuq; igneum quendam ac veluti scintillantem splendorem emittit. De Nyctegreto scribit Plinius *lib. 21. cap. 11.* siccarum ad Lunam 30. diebus & ita lucere noctibus. Pertinet huc quoq; Arbor, quæ in insula Zeila rutilo splendore obscurissimam noctem vincit, prout ex Ludov. Romano refert Bartholinus *d. l. p. 28.* Tacemus Putrida Ligna & L. B. ad experimenta Fr. Baconis de Verulamio *in Sylva Sylvar. Centur. 4. n. 352. p. 213. seqq.* & Rob. Boyle *in Ephem. Erud. Tom. IV. pag. 49. seqq.* amandamus.

§. 30. Restant adhuc Mineralia noctulucencia, inter quæ Veteres Carbunculum, Adamantem & Rubinum retulerunt, contra Recentiores, ex quibus Boetium de Boot & Johannem de Laët nominasse sufficiat, hanc virtutem modò nominatis aliisque gemmis denegaverunt, ceu patet ex Ol. Wormii *Museo lib. 1. sect. 2, cap. 17. fol. 103.* & Rob. Boyle